

DISPUTATIO IX.

De Causa peccati.

1. In Articulo de Creatione proposita est consideratio Creaturarum: In quibus conspicitur pulcerrimus & admirandus naturæ ordo.

2. Unde igitur ager humanæ naturæ habet tristissima illa Zizania peccati & confusionis?

3. Memorabile est dictum *Basilii* in Homilia, quod Deus non sit causa malorum: *Non minor est blasphemia, inquit, asserere DEUM causam peccati, quam negare DEUM.*

4. Quare in DEUM ipsi contumeliosi sunt, profani illi & impii Disputatores, qui malorum actionum & Peccati causam si non directe, oblique tamen, & per necessariam consecutionem, in DEUM referre haud verentur.

5. Quales fuerunt tum ante Christum natum, ut patet ex Syrac. XV. 11. 12. tum post Christum in hunc mundum adventum; Et primo quidem tempore Apostolorum; quod colligitur ex Jac. 1. 13.

6. Postea vero primitivam Ecclesiam turbarunt Valentini, docentes, divina necessitate vim quandam homini fieri, quando scelera perpetrat, vid. Irenæ. Lib. IV. Cap. 47. 48. Et Marcionitæ, fingentes duos Deos, bonum & malum. Hermogenes fingit materiam ab æterno fuisse, aliam bonam, aliam malam.

7. Quos errores omnes in unum monstrosum Caput conflarunt Manichæi, qui DEUM finxerunt unum bonum, alterum malum: Illi lucem, huic materiam & tenebras tribuentes, & inde quidem factos dicebant homines bonos sive Filios lucis, hinc autem natura malos, *χοιρας* sive terrestres, Inter quos alios constituebant medios. Fuse de his & contra eos disputat D. Augustinus.

8. Referrî huc possunt & debent etiam periculosa disputationes Philosophorum de fato.

9. Itemque Prædestinariî, secuti mortem Augustini; quos refellit Fulgentius & alii.

D 2

10. Ve-